

tribus personis, & sequar ordinem bibliorum, quem omnes patres secuti sunt Ignatius, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Clemens Alexandrinus, Origenes & quicumque post Apostolos, usque ad synodum Nicenam scripserunt.

XXXI Incipiam autem ab illa sententia, à qua ipsi incipiunt, & sequar eorum expositionem, qua has sententias exponunt. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: Pluit Dominus signem de cælo à Domino, super Sodomam & Gomorram &c. Has sententias ipsi de tribus personis exposuerunt, & distinctione ὑποστάσεων, & omnes, qui synodo Niceno interfuerunt & qui hos secuti sunt, Athanasius, Hilarius, Basilus, Chrysostomus, Epiphanius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Damascenus, & alij sic interpretati sunt, & si Deo placebit, nos uni Serueto magis, quam tot centurijs suffragiorum, & eorum quidem, quos constat doctissimos & religiosissimos fuisse in Ecclesia, credemus?

XXXII. Seruetus Iudaico commento has sententias sic eludit: Ad literam, inquit, intelligendum est, Deum dixisse
ad